

aus G

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
**PRAEPARATIONIBVS AC DOSIBVS
ANODINORVM
PRVDERENTER OBSERVANDIS**

QVAM
AVSPICE DEO PROPITIO
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICI
PRAESENTE
VIRO EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO ET DOCTISSIMO
FRID. CHRISTIANO IVNCKERO
PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE HVISQUE
PROFESSORE PVBL. ORDIN. PAEDAGOGII REGII AC ORPHEA
NOTROPHEI HALENSIS MEDICO CONSTITVTO

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQUE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
MORE MAIORVM RITE OBTINENDIS


AD DIEM OCTOBR. MDCCCLX.

PLACIDAE AC AMICAE DISQVISITIONI EXHIBET

A V C T O R

HENRICVS FERDINANDVS SEVER
WANSLEBIO MAGDEBURGENSIS.

HALAE MAGDEBURGICAE,
LITTERIS HILLIGERIANIS.





PRAEFATIO.

A
nodynā rite praeparata optima esse
remedia, si eadem congrua ratione
ac dosi adhibeamus, multiplici con-
stat experientia; quaevis ex adver-
so narcotica, si iisdem abutamur,
peſſimorum more venenorum, uni-
uerſam corporis nostri labefactare orcono-
miam, res pariter notissima est, multisque
funefis dudum confirmata experimentis. Ma-
xime ſane, his in aprico poſitis, mirandum,
quod

A 2

P R A E F A T I O.

quod plures inuenti fuerint, atque adhuc inueniantur Medici, qui non erubescunt, promiscuum suadere anodynorum usum; qua medendi methodo vel potius confusione utentes, non solum rationalis dignitate medici omnino indigni sunt, sed etiam in salutem generis humani summam iniquitatem atque iniuriam committunt. Iudicose hinc exclamat STENTZELIUS in dissert. de anodynorum virtutibus venenorum, Vitemberg. MDCCXXXV. ventilata. qua quaelo, inquiens, ratione, rationalium characterem et dignitatem medicorum tueri potestis, qui in tot et tam discrepantibus dolorum et vigiliarum causis, unum idemque remedium anodium, tamquam sufficiens, omnibusque accommodatum circumstantiis, praesribentes, a sana longissime ratione, arbitra bonorum malorumque, aberratis? Ardua itaque necessitas postulat, ut medicus, qui anodyna rationali methodo in usum vocare cupit, probe sit instructus, tam de veris et certis indicationibus narcotica requirentibus, quam de genuina anodynorum praeparatione et exacta illorum dosi. Utrumque momentum omni labore et studio est dignissimum. Primum tamen multum ventilarium est, nimirum peruestigatio et inquisitio indicationum, quae indicata anodyna efflagitant,

P R A E F A T I O.

tant, satis superque in multis scriptis, de cauto,
sollicito et circumspecto anodynorum ysu agentibus,
ab recentioribus practicis est instituta ac
determinata: optandum modo, ut omnes medici-
nam exercentes eiusmodi explicationes legerent,
easdemque in medendo sequerentur. Superfluum
itaque esset, si conditiones ac morbos, in quibus
sedativa locum habent, in hoc speciarine inquirere
vellemus, quare hanc tractationem omnino
missam facimus. Alterum vero momentum, ge-
nuinam nempe anodynorum praeparationem et
legitimae dosēos constitutionem attinens, hoc sane
neque tritum, neque vulgatum est, sed quidquid
intuitu huius momenti etiam disputatum legitur,
illud sparsim hic illic reperitur. Ad meam sal-
tem cognitionem hucusque nullum peruenit scri-
ptum, quod ex instituto ac succincte de probatis
praeparationibus ac congruis dosibus anodyno-
rum differuerit; quare operae pretium duxi, in
hoc themate elaborando vires meas qualescumque
exercendi. Faxit Deus feliciter. Tu autem
Benevolē Lector hanc dissertationem aequi boni-
que accipe.

A 3

§. I.

§. I.



Per pauca omnino sunt subiecta, quae medicamina anodyna largiuntur, nemirum *Papaver*, *Cynoglossa*, *Crocus*, *Nicotiana*, *Poeonia*, *Hyscynamus* *Mandragora* et *Castoreum*; ex his vero praeparata et composita hacten exiguum numerum constituant. Ut igitur indicato themati, de *Praeparationibus et Dosibus Anodynorum prudenter obseruandis*, omni ex parte satisfaciam, omnia utilia ac usitata anodyna, sive sint praeparata, sive composita, recensebo, et tam eorum praeparationes euoluam, quam doses determinabo: quaevis autem ex opposito, vel plane inutilia, vel ob minorem valorem iam diu exoleta, silentio praeteribo. Caeteroquin notandum est, determinationem doseos ubique consistentem respicere aetatem.

§. II.

Papaver utique primum locum obtinet, quia plurimae medicinae anodynæ ex illo conficiuntur. Datur vero duplex illius species in officinis; alterum *hortense*, alterum *erraticum*. *Hortense* caule multifloro, foliis simplicibus glabris incisis caulinis gaudens, praerogatiuam omnino meretur, dum virtute anodyna papaueri erratico multo efficacius est, sed idcirco etiam maiorem in medendo exposcit moderationem et circumspetionem. Hoc *hortense* officinis duplex suppeditat pharmacum, nemirum *semen albi nigrique coloris*, et succum lacteum calore coagulatum, *opium dictum*; ex utroque officinali iterum varia, et potissimum ex ultimo multa parantur medicamenta anodyna, de quibus igitur specia-

speciatim dicendum. E *femine* prostant 1) *syrupus pa-
uaris albi*, qui in omnibus dispensatoriis descriptus le-
gitur et cuius *vsus* in edulcorandis emulsionibus anody-
nis notissimus est. 2) *diacodium*, tam *solidum*, quod pa-
ratur coctione capitum et seminis papaueris albi cum fac-
charo, ut exinde fiant tabulae, quare *tabulatum* etiam
vocatur, quam *liquidum*, itidem ex capitibus et semine
papaueris cum faccharo coquendo obtinetur, modo ad-
dendo siliquam dulcem et Glycyrrhizam, omnibus in
formam electuarii redactis. Duplex hoc *diacodium* in-
ter officinalia merito reuocandum est, quia cum addu-
cto syrupo eiusdem efficaciae deprehenditur. Sed cum
haec dicta medicamina magis ad gratiam potionibus et
emulsionibus conciliandi valeant, minus necessarium
erit longius de illis differere, quapropter me statim ad
opii considerationem conuento.

§. III.

Vehementissimam sane et celerrimam operatio-
nem exercet *opium* in corpore nostro, dum vnicum illi-
us granum robustissimo homini datum, euidentissimos
effectus edit. Quare, si vñquam aliud pharmacum, sane
hoc *vsuum* maxime prouidum requirit, ita quidem, ut
non nisi viribus integris, sufficientibus indicationibus
praesentibus, debite correctum et congrua dosi exhi-
beatur. Ab opio crudo plane abstinentum esse, pru-
dentiores medici vnanimiter suadent; ita Illustris BÜCH-
NER in materia medica pag. 662. inquit: merito dannan-
dus est opii crudi *vsus*, in refracta licet dosi, ob validio-
rem operandi rationem, minusque firmum idcirco reputan-
dum est argumentum, quod fautores eiusdem a Turcarum
consuetudine et paucis sub nostro climate factis experimen-
tis

tis communiter arcessere solent. Correctione itaque, ea-
que admodum sollicita opus habere sine dubio constat,
quo autem modo haec instituenda sit, auctores valdo-
pere inter se discrepant. Nam quilibet secundum con-
ceptum, quem sibi de opii principiis constitutiuis for-
mauerat, suam quoque constituit methodum correcto-
riam: hinc tot correctiones originem duxerint, vt, si
quispiam illas colligere vellet, integrum impleret volu-
men. Harum correctionum multae ita sunt compara-
tae, vt opium magis in deteriore, quam meliorem,
statum transmutent, quare Illustris b. m. HOFFMAN-
NVS in egregia dissertatione de opii correctione genuina
et usu pag. 10. scite scribit: *equidem crudum opium non est*
venenum, sed saepius hoc praferendum duco opii tosti,
seu exusti, aut inconcinnorum ex eo praeparatorum numis
dosis. Aliae praescriptae et sic dictae correctiones opii
quidem non corrumpunt, sed illud etiam non emen-
dant; pauciores vero laudandae sunt, quas breuiter
adumbrabimus. Cardo nimirum verae ac genuinae
correctionis et praeparationis opii in eo consistit, vt
partes nimiae resinosae tam crassiores, quam subtilio-
res, (quas alii sulphureas nominare malunt) vtpote in-
utiles et damnandaes, in quantum fieri potest, separan-
tur; gummatosa enim pars magis temperata et medicinalis
obseruatur. Haec vero separatio partium vtilium
ab inutilibus magna difficultate premitur; nam sub
examine chemico intima partium gummatosarum et re-
sinosarum, mediante principio salino, mixtio deprehen-
ditur, quae omnino plenariam harum partium diuisio-
nem impedit. Etsi vero gummi quounque modo se-
paratum,flammam adhuc concipiat, ideoque partes
refi-

resinosas intermixtas praebeat, multo tamen mitiorem operationem praefstat, quia paucum tale resinosum multis particulis viscidis, mucilaginous et tenerioribus terreis implicitum et intricatum est.

§. IV.

Quibus generalioribus de correctione opii praemissis, me ad ipsa praeparata opiate speciatim confideranda accingo; redeunt vero correctiones opii ad sequentes classes. Prima classis continet opiate, quae per menstruum aliquod ex opio, auxiliante nimirum vel coctione, vel digestione parantur. Hoc numero complectuntur quaelibet *extracta* et quaevis *essentiae* vel *tincturae opii*, quae omnino admodum diuersa methodo conficiuntur. Optimum sane menstruum, quo opium feliciter extrahitur, est aqua pluialis; omne enim extractum nimis resinosum et essentia vel tinctura eiusdem indolis, non sine maximo periculo adhibentur, quia vere veneni instar in corpore nostro se gerunt. Hinc factum quidem est, ut libri nostri pharmaceutici vnamiter extracta et essentificata cum aqua sive simplici vel alia composita, potissimum apopleptica paranda suadent; nihilo tamen minus residuum postea cum spiritu vini extrahendum praescribunt: ita fere prior labor, quo gummosa pars desiderata fuit, iterum frustratur, dum resinosum extractum deinde adfunditur. Conuenientissimum itaque esset, si cum solo menstruo aquoso opium extraheretur, residuum plane abiiceretur, per aquam vero educta, vel ad consistentiam *extracti* euaporarentur, vel addita aequali spiritus vini rectificati portione, ad dimidium abstraherentur, ut *essentiae* vel *tincturae* magis quidem concentratae et ex parte spirituofae, minus

B

minus

IO DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

nus tamen resinosae obtineantur. Hinc patet, quod *extractum opii* sicuti ordinarie, e. g. secundum *Dispens. Brandenb.* conficitur, quidem crudo opio sit mitius, praesertim si intenso calore fuit inspissatum, non tamen omni ex parte laudandum, ideoque moderata admodum dosi nimirum a grano dimidio ad duo propinandum. Praferendum itaque merito erit, quod in *Act. Erud. Lips. Mens. Octobr. A. 1701. p. 445.* recensetur *extractum opii* D. D. IONES: recipit nempe opii Vncias octo, aquae pluuialis destillatae Vncias viginti quatuor; in loco temperato ac vase probe obturato, quotidie ter quaterque agitando, intra sex dies iubentur solui, hinc per chartam bibulam filtrari, ac oleo dulci affuso sub titulo panaceae opii liquidae asseruari. Qua obtenta mox, ad omnem gummosam opii portionem, a noxia resinosa exacte separandam, eadem aqua pluuialis destillata relictis faecibus tam diu innuitur affundenda, quoisque rubicunda elicita tintura fuerit omnis, pariter filtranda simulque in balneo ad Extracti, solidam opii panaceam constituentis, inspissanda consistentiam. Quod vero *essentias officinales* attinet, nimirum, *essentiam anodyniam ex laudano*, tinturam opii D. Crani et *Essentiam anodyniam Ludouici*, hae sane parum inter se discrepant, vnde etiam doses illarum aequales existimandae sunt, nimirum ab octo ad decem guttulas exhibendae.

§. V.

Secunda classis capit correctionem opii per menstruum alcalinum. Addita nimirum alcalina solutione partes opii non solum diuelluntur ac disperguntur, verum etiam subtiliores resinosa, nimis vaporosae ac narcoticae, in auras mittuntur: obseruamus enim, quando opio

DE PRAEPARATION. ANODYNORVM CET. II

opio in aqua soluto adfunditur oleum tartari per deliquium, fieri aliqualem ebullitionem et assurgere vapores male olentes. Debemus hanc egregiam opium corrugandi methodum. D. D. STARCKEI, qui sal tartari cum calce viua parandum docuit et nomine *saponis philosophici* vel *correctoris uniuersalis opii* publici iuris fecit. Paratur autem hic sapo sequente ratione: sal tartari cum calce viua per repetitam caementationem magis caustum redditur, et in mortario calido teritur, sensim inter trituram oleum quoddam vegetable, siue sit terebinthinae siue iuniperi instillatur, ea quidem proportione, ut libra vna salis, libram semis olei imbibat. Deinde haec mixtura diu digeritur, ac tum, vt liquefacat, in tabulam vitream ponitur. Post haec id, quod liquatum est, siccatur, et, vt antea, labor perficitur, tamque diu reiteratur, donec massa *saponi formis* et *laetescens* obtineatur. Cui praeparationi quandoque vix semestre spatium sufficit. Alii aliter correctorem Starckey conficere docent. Conf. BOERHAAVE in *Chemia part. II. processu LXXIV.* Cum hoc correctore paratum opiatum sintunt *Pilulae D. STARCKEY polychrestae*, quae caute praeparatae et cum ratione propinatae, ad vnum granum pro dosi concedi possunt: legitur illarum accurata et genuina descriptio in Dispensatorio nostro. De reliquo certissimum est, has pilulas non tanta virtute alia opiate antecellere, vt taediosa correctoris praeparatio compensaretur, quare hodie rarius in usum vocantur.

§. VI.

Tertia classis sifit *opium* per fermentationem corrugendum. Nemo sane negabit motum fermentatiuum aptissimum esse ad partes alicuius subiecti mixti dissol-

12 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

uendas, hacque actione opium maxime resolui. Sed eo magis nobis haec methodus fermentatiua grata acceptaque veniet, quo curatius penitamus mutacionem, quae in opio obtinetur: quando enim illud menstruo aquo soluitur et in congruam, id est moderatam, ducitur fermentationem, non fieri potest non, quin hac operatione partes resinosa subtiliores in auras auolent et crassiores, instar faecum, fundum petant. In aprico itaque positum est, nulla alia via aequre bene separationem partium resinosa ab gummatosis obtineri posse, quam si congruo modo placida fermentatio cum opio instituitur; quare fermentations cum variis vegetabilium succis, praesertim succo cydoniorum, omni laude condecorandae sunt, et vsu hactenus egregio se approbarunt. Eiusmodi *Fermentum anodynum* praescripsit. D. D. LANGELOTT quod in nostro Dispensatorio relatum legitur. Vbi illius vsus necessarius cognoscitur, dosis pro consistentia variabit: si syrapi consistentiam naetum sit, ultra guttam vnam non licet ascendere, si magis liquidum vero est, duas guttas propinare licebit. Simile huic fermento Langelott opiatum exhibet D. D. NEVMANN in *praelectionibus chemicis part. III. regn. Vegetab. Cap. CXIV.* quod per experientiam in vniuersitate Anglia admodum celebre est, et genuinis principiis chemicis superstructum deprehenditur. Sequentem nimirum in modum paratur: soluatur opium purissimum in aqua simplici frigida, in quantum per concessam sufficientem moram fieri potest, separando diligenter impuritates innatantes, deinde decantetur et coletur solutio, depuratae solutioni addatur tantum sacchari quantum ad fermentationem promouendam requiritur, agitetur dili-

diligenter, soluto vero saccharo in vase laxe tecto, in locum moderate calidum fermentationi exponendo, reponatur, post moram agitetur denuo et promoueatur fermentatio quam diu fieri potest: fine fermentationis ex certis signis cognita, de nouo colandum et ad extracti consistentiam inspissandum erit. Caeteroquin non dissimulo hunc fermentationis modum multis incommodis esse expositum.

§. VII.

Ad quartam classem numeramus composita, in quibus opio adiunguntur laxantia. Primo quidem intuitu haec compositio videtur insulsa, quia opium purgantium fistat effectum; verum enim vero consideraturis, contraria subiecta mixta saepius optima exhibere medicamina, opii quoque vim laxantibus limitari ac moderari certissima constabit experientia. Ex hoc fundamento habemus satis probatas compositiones, inter quas palmam sibi vindicant *Pilulae WILDEGANSII*, quarum quidem variae circumferuntur descriptiones, et quisque suam pro genuina aestimat. Ego illam compositionem aliis praeferendam iudico, quam ab B. IVNCERO, pratico sane felicissimo, in *Conspectu formulorum pag. 34.* relatam legimus, quae ita se habet. Rec. Opii puriss. fibr. ellebor. n. ana libram semis. Opium primum cum aceto et deinde quod residuum est, cum alcal. adsuso extrahatur. Fibr. ellebor. nigr. extrahe cum vino, melius cum aqua per digestionem quoad satis. Adde Myrrh. per alkahest. Glauberi ita praeparatum, ut cum aqua solui possit. Deinde recipe col. vncias quatuor, extract. theriac. fine opio ex rad. alexipharm. cum spiritu vini parat. vniciam vnam, croc. orient. subtiliss.

B 3

pul-

14 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

puluerisat vncias duas, olei destillat. iuniperi vnciam vnam. M. F. M. P. et formi. pil. ad pond. gr. 1. Has pilulas, ascendendo ab uno grano ad quatuor, congruo modo ac tempore datas, eximios et quidem in grauioribus morbis praestitisse effectus multoties in praxi B. Praeceptoris obseruare mihi contigit, quare illas bona fiducia commendare valeo. Neque silentio praetereundae sunt famosae *pilulae antipodagrcae RHVMELII*, quae sic fiunt. Rec. M. Pilul. Aloephang. drachmas du-
as Laud. opiat. drachmam semis, M. F. Pilul. pond. gr. 1.
quod et dosin constituit. Vocatae fuerunt hae pilulae.
Veni amice, surge et ambula, quae quidem verba ex ser-
mone CHRISTI desumpta sunt, sed non nisi ex ore sum-
mi doctoris valorem possident.

§. VIII.

Quinta denique classis praebet compositiones opii cum remediis diaphoreticis. Haec est antiquissima me-
thodus opium corrigendi, quemadmodum vetusta me-
dicamenta nimirum *philonium tam romanum*, quam *per-
ficum*, *Mithrilatum* et *theriaca* testantur. Has qui-
dem compositiones emendatione indigere multi recen-
tiores medici non dissimulant; sed tamen quia per tot
annorum seriem perpetuato usu magnam virium op-
inionem habuerunt, neque etiam hodie prorsus amise-
runt, tolerandas et non plane reiiciendas arbitrantur.
Ad minimum operoso labore et sumptibus parcere; op-
iumque correctum cum paucis simplicium alexipharma-
corum extractis mistum eodem effectu dare possemus.
Doses harum compositionum inter se conueniunt, pro-
pinandae scilicet sunt a scrupulo vi:o ad drachmam dimi-
diagram. Pertinent porro ad hanc classem sic dicta *Lau-
dana*

dana, vtpote quae omnia opium diaphoreticis remedii mixtum continent. Horum laudanorum in Dispensatorio nostro leguntur *Laudanum opiatum completum*, confusa multorum futilium et superfluorum farrago, a grande dimidio ad duò propinandum, et cum hoc conueniens *laudanum completum* quo utimur in illis, qui ab vsu odoratorum et caput ferientium offenduntur; porro *laudanum hystericum* est idem cum incompleto, extracto tantum castorei auctem, dosis ideoque est eadem; denique *laudanum liquidum D. D. SYDENHAMI*, omnium maxime celebre, quod a guttulis decem, ad viginti vel viginti et quinque ordinatur. Tandem huic ordini inserenda est famosa *tinctura bezoardica MICHAELIS*, cuius compositio varie describitur; ea quidem quam *Schroederiana pharmacia* tradit, magnam ingredientium multitudinem ostentat, e quibus si plurima resecarentur, idem fortasse aut melior adpareret effectus. Videtur autem calidioribus vegetabilibus adhuc nimis referta, quamquam opio, vt pleraeque aliae solent, non adeo imbuta vel corrupta, qua propter non contemnenda penitus, caeterum temperatioribus mitiganda est. Satis itaque ex hucusque disputatis elucescit, vario omnino modo opium corrigi ac propinari posse; ne tamen in vsu opiatorum grauiter peccemus, legere et ad animalm reuocare iuuabit Illustris. b. m. STAHLII admonitiones in dissertatione, quae *de impostura opii* inscripta est.

§. IX.

Ex papauere autem erratico caule multi floro folioso hispido, foliis pinnatifidis, capsulis laevis gaudente, tria prostant praeparata 1) *Syrupus flor. papau. errat.*

errat. qui commode potionibus anodynisi admiscetur,
2) *Conserua papaveris* confectionibus addenda 3) *Tinctoria flor. papaveris* egregiae sane virtutis, si secundum
praescriptionem MYSICHTI in thesauro medico-chy-
mico pag. 55. paratur. Interim cum dicta medicamina
non posituum vim anodyniam possident, doses quoque
illorum auctiores esse possunt.

§. X.

Cynoglossa foliis lanceolato-ouatis tomentosis, co-
rollis calycem aequantibus, est secundum nostrum sub-
iectum, quod aduerso admodum suo odore virtutem
suam narcoticam et stupefacientem abunde testatur.
Rarissime usurpatur, nec experimenta cum illa facta
pondus habere videntur, saltem cautissime imitanda.
E compositis autem satis lene et probatum anodynū
Massa pilularum de Cynoglossa suggerit, quae praeeun-
te illustri b. m. STAHLIO ad unicum granum pro dosi
pulueribus antispasmodicis admiscetur, et hoc modo ad-
hibita exoptatissimas virtutes edit. *Syrupus e Cynoglossa*
nullis fidis testimoniiis comprobatus est.

§. XI.

Tertium subiectum est *Crocus officinalis*, vulgo
orientalis dictus, floribus fructui impositis, tuboque lon-
gissimo praeditus, qui, sicuti et vaporosis aromaticis
exuberat, sic facultatem excalafacientem et sopientem
possidet. Parce dari oportet, quia facile nimiam san-
guinis commotionem producit, ac varia funesta sym-
ptomata e. g. cephalalgia fortior, temulentia capitis, de-
lirium, nimium illius usum sequuntur. Saepius in sub-
stantia sub forma pulueris exhibetur. Praeparata, quae
exinde in pharmaceuticis prostant officinis, sunt: 1) *Sy-
rupus*

rups de Croco, quem Archiater BATEVS in frequen-
tiori vſu habuit et in *Pharmacopoeia bateana* ita descri-
bitur: Rec. Croc. opt. drachmas duas, lachrymar. fil-
lantium ex capitibus papaueris exotici supra laminam
ferri ficcat. et pul. ynciam dimidiam, spiritus vitrioli gut-
tulas XXX. aquae citri totius vncias octo: digere in
MB. vt extrahatur tinctura, quae filtretur exactil. Tum
Rec. sacchar. opt. vncias decem et octo, aquae totius ci-
tri vncias sex, coq. despumando ad Syr. crassioris con-
fist. cui adde tincturam praedictam, vt F. Syrup. confist.
debitae sine coctione. Dosis huius medicamenti ab
drachma vna ad tres extendit. 2) *Essentia croci*, si ad
vsum externum paratur, solo spiritu vini rectificatissimo
conficitur, interno autem destinata, menstruum ex spi-
ritu et aqua mixtum adhibetur. Neque essentia Croci
vituperanda videtur, quae cum spirit. flor. lilior. con-
uall. et flor. naphae digeratur. Ex contraria autem parte
merito damnamus illam, quae cum spiritu salino-vrinoso
e. g. spiritu sang. humani perficienda commendatur.
3) *Extractum* in primis menstruo aquoso factum est ef-
ficacissimum et tam pulueribus, quam pilulis a gr. ij. ad
IV. vel vj. admiscetur. In genere autem crocata anody-
na rarius interne dantur, externe autem felici cum effe-
ctu et *spiritus vini camphoratus crocatus*, et *emplastrum*
oxycroceum frequentissime adhibentur.

§. XII.

Quartum indagandum venit subiectum, nimirum
Nicotiana foliis lanceolatis; quae principiis gaudet sali-
nis acerrimis et potissimum vaporosis subtilissimis resi-
nosis, vnde illius narcoticus effectus oritur. Ob drafti-
cam operationem vſus illius internus merito suspectus

C

puta-

putatur, quia plerumque per superiora et inferiora, non sine summa anxietate aliisque molestiis purgat et efficaciam plane stupefacentem praefstat. Hinc igitur exacta correctione opus habet, quae omnium optime impetratur, si *extractum* illius legitima methodo conficitur, quae potissimum in diuturna coctione consistit, ita ut efficaciam vomitoriam amittat, et tantuminodo absterfuam et anodynā seruet: oportet vero talem coctionem per viginti et quatuor horas continuare, nouam nempe, priori euaporata, affundendo aquam, cuius interuentu amittit acres nimirum volatiles portiones. Si adhuc videatur emesin contrahere, praefstat iterum iterumque cum noua aqua coctionem repetere. Quando hoc extractum per longum temporis spatiū in forma magis liquida quam sicca asseruatur, contrahit commotione fermentationis acris iterum efficaciam vomitoriam; vnde satius est ad siccessentem spissitudinem coquere. Peculiarem sane efficaciam et in russi phisica sedanda admirabilem praefstat virtutem. Ad III. IV. V. grana pro diuersa subiectorum sensibilitate vel in iuscule vel in essentia absinthii vel alexipharmacā STAHLII propinatur; indeque exortae naufragie haustu vini calefati, aromatibus et saccharo imbuti, succurritur. Confer. D. D. GOETZII *Obseruat. Stahlianae Clas̄s. I. pag. 757.* Ab multis annis syrups de Nicotiana quoque celebratus fuit, sed hodie magis exolevit. Praeclare ipsum laudat illustris b. m. STAHLVS in *Collegio casuali*, inquiens: commendari quoque meretur syrups de Peto Quercetani, Taback Syrup, qui rite praeparatus remedium efficax, licet parum cognitum, existit: alias non recte praeparatus nulli homini minus accommodatus est, quam

quam Phthisicis, ob vomitus et cardialgias, quas enor-
miter excitat; congrue vero praeparatus non modo re-
soluit, sed ulcerationem etiam iuuat. Descriptio huius
syrupi in *YERGETANI pharmacop. dogmat. cap. XII.*
legenda est.

§. XIII.

Quod quintum subiectum nempe *Poeoniam* tam
marem, quam foeminam attinet, illa in libris medico-
rum omnino valdopere laudatur, sed si eandem solam
propinamus debiliorem efficaciam edere obseruatur.
Nullo itaque modo ad fortiora narcotica pertinet, ma-
gis vero antispasticam virtutem praestat. Tres nimi-
rum partes Poeoniae in usum medicum vocantur: 1)
Semen inseruit emulsionibus pro epilepticis, 2) *Radix*
non contemnendae efficaciae est ad motus spasticos tem-
perandos, praecipue tamen tenerioribus, sensibiliori-
bus et iunioribus conduit subiectis. Specialissime de-
stinatur infantibus, quando isti motibus colicis et pau-
ribus, quacunque ex causa ortis vexantur, et illis in for-
ma pulueris a scrupulo dimidio ad integrum propinatur.
Ex dicto fundamento quoque basin constituit celebrati
illius *pulueris marchionis*, in quo ceteroquin bona mixta
malis deprehenduntur. 3) *Flores* etiam antorgastricam
qualitatem possident, ideoque *aqua* ex illis *destillata* ad
potiones temperantes conficiendas saepius requiritur.
Reliqua Poeoniae praeparata sunt 1) *Conferua* Poeoniae,
quae *foeculae* illius merito praefertur. 2) *Syrupus* qui
potionibus temperantibus, in quacunque sanguinis com-
motione, cum emolumento admiscetur. 3) *Extractum*,
quod si cum menstruo spirituoso paratur, satis efficax
est et pilulis anodynisi laudabili cum effectu additur. 4)

C 2

Oleum

Oleum expressione inde obtineri potest, quod ad vsum topicum omni respectu quadrat. Doses horum praeparatorum non adeo angustis limitibus circumscriptae sunt.

§. XIV.

Famosum etiam narcoticum est sextum nostrum subiectum videlicet *Hyoscyamus* foliis amplexicaulis. Tantam vtique vim stupefacentem possidet, ut illius sumus adstantes statim temulentos reddat. *Semen* potissimum largiter sumtum deliria inducit ac somnum aeternum inuitat. Illi itaque audiendi non sunt, qui semen ad drachmam vsque vnam in vino hispanico propinandum esse suadent. Non ultra decem grana dari debet, et praestat infra hoc pondus subsistere. Dehortatur illius vsum Illustris b. m. IVNCKERVS in therap. general. pag. 277. periculum, inquiens, multasque noxas ex vsu hyoscyami exsistere, tum alii auctores obseruarunt, tum ipsi nouimus, semen hoc aliquando largius datum ischiadicu[m] cuidam ridiculam primo insaniam induxit, ac dolores quidem paulisper sponuisse, sed ita, ut postmodum maiore contumacia eruperint, insequente eius cruris atrophia et letali post annum catastrophe. Licet itaque a pluribus magnae famae medicis tanquam praestantissimum medicamentum in variis congestionibus, doloribus, epilepsia et catarrhis acrioribus commendetur; tamen huic commendationi subscribere nequeo, sed plane ab vsu hyoscyami interno abstinentum esse satius tutiusque iudico. *Folia* hyoscyami debilioris ut pote efficacie in sacculis et cataplasmatibus, ad tumores dolentes leniendos optime conducunt. *Oleum* eius expressum e semine, vel ex tota herba per decoctionem para-

paratum, locum merito inuenit in linimentis et unguentis anodynisi. De emplastro ex hyoscyamo quidem illustr. b. m. SCHVLTZIVS in *praelationibus ad Dispens.* *Poruss. Brandenb.* pag. 114. testatur, illud ad vehementissimos dolores rheumaticos obtundendos saepe supra spem efficaciam edere; verum enim vero experiendo promissa fidem non seruat. In genere de anodynorum externalorum viribus notandum est, illas multo debiliores esse et exoptatam medelam saepius frustrare. Euellatur itaque ex hominum mentibus inanis, de lapide Buttleri et anodyno vitrioli sulphure, persusatio, quae solo attactu, quoscunque dolores, ac quasuis infirmitates dicuntur curare.

§. XV.

Evidem *Mandragoram* fructu rotundo tanquam septimum narcoticum subiectum nominauimus, minus tamen negandum est, medicos hoc medicina absque damno utique carere posse. Similem omnino naturam cum opio habet, immo nonnulli autores arbitrantur, vim *Mandragorae* stupefacentem adhuc superiorem esse. Satis etiam notae sunt fabulae aniles, quae de magica virtute narruntur. Certiori fundamento nititur eorum sententia, qui praeter fortioriem catharticam virtutem, hypnoticam *Mandragorae* adjudicant. Refert LEVINVS LEMNIVS in *herbar. biblic. explicatione Cap. II. p. 7.* de seipso, quod ex suspensis in suo museo *Mandragorae* pornis, adeo somnolentus fuerit redditus, ut aegre somnum excutere potuerit, et cum omnibus obliuetans viribus difficulter eumdem obtinuerit, nec sufficientem tanti veterni causam inuenerit, se tandem quaqua versum oculos dirigenter, a tergo pomum *Mandragorae* aduertisse, quo remoto

22 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

pristina corporis alacritas redierit. Narcotica haec virtus prouerbio ansam dedit; quod Mandragoram bibisse dicantur, qui plane stupidi, desides, ab omni honoris sensu destituti sunt. Ab aliis laudatur, atque ad multas et grauiores infirmitates curandas praescribitur, ab aliis contra culpatur, eiusque usus plane repudiatur. Hinc meliorem et tutiorem ex hac difficultate nos extricandi viam non inuenio, quam si relicto auctoratis praiejudicio, usum illius internum plane dissuadeo, externum vero admodum circumspete subeundum esse inculco. Consentit mecum illustris BÜCHNERVS qui in *Materia medica* pag. 274. de Mandragora ita differit: ob *insecuros et periculosos effectus interne plane reformidatur Mandragorae usus; et temerariis circumforaneis relinquitur, imo et externe admodum prouide et caute adhibendi sunt predicti eiusdem cortices, quando cum foliis huius plantae in forma cataplasmatis cum lacte parandi, ad tumores inflammatorios, duros et scirrhosos resoluendos et discutendos, doloresque mitigandos commendantur.* In vino potissimum hanc herbam esse decoquendam iudicant plures medici, sed hoc etiam infusum minus securum est, sicuti trifisi experientia docet. Nouit et hanc Mandragorae vino additae virtutem HANNIBAL, qui missus aduersus rebellantes, cum sciret, gentem esse audiadum vini, magnam eius quantitatem Mandragora permiscuit. Tunc praelio leni commisso ex industria cessit, nocte deinde intempesta, relicts intra castra quibusdam sarcinis et omni vino infecto, fugam simulauit, cumque barbari, occupatis castris, medicatum vinum audie hauissent, atque in defunctorum modum strati iacuissent, reuersus cepit eos ac trucidauit.

§. XVI.

§. XVI.

Tandem ultimum subiectum scilicet *Castoreum* expediendum erit. Hoc a suis Patronis tanquam excellens anodynnum extollitur, ab aliis vero plane reprobatur. Si veritatem fateri licet, illud exiguae admodum possidet vires, aliquo tamen cum lenamine ad spasmos demulcendos adhiberi potest. Perperam vero secundum *WEDELIVM* diuinum medicamentum aut anima omnium hysteriarum vocatur. Interim usum illius internum ad grana tria pro dosi concedimus illis, quibus haec nauseosa et pinguis medicina placet. Salubrius autem extus ad spasmos abdominalis, colicos cruciatus, susurrum aurium et difficilem auditum adhibetur. Prostant inde 1) *essentia*, quae efficaciam magis commouentem quam anodynami propriam exserit, ideoque nunquam ultra decem et quinque guttulas erit propinanda. Conducit potissimum in morbis dolorificis frigidis, qui a viscidorum humorum decubitu originem ducunt. 2) *Extractum*, quod semper resinosum esse debet, gummosum enim debilissimae est efficacie. Hoc extractum spirituofsum ad unum vel alterum granum, scopo anti-spasmodico, aliis remediis remouentibus cum fructu coniungitur 3) *oleum* tam *simplex* cum oleo oliuarum paratum, quam *compositum* seu *oleum castorei Iacobi de Manliis* dictum et in Dispensatorio legendum. Utrumque hoc membra spasmis et conuulsionibus lenit et leuat.

§. XVII.

Sufficient haec de praeparationibus et dosibus anodynorum prudenter obseruandis dicta. Restat ut quadam circa hoc thema generalia momenta adhuc subiungam. Quorum primum est, ut in elaborandis

ano-

anodynorum praeparatis nullum quaeramus illicitum
commodum, sed omni industria eiusmodi generosa me-
dicamenta perficienda curemus; conueniet ideo eli-
gere pharmacopoeum solertem, industrium ac consci-
entiae suae satagentem. Secundum momentum incul-
cat iudicium discretuum, quod intuitu doseos, pro di-
uersa subiectorum ratione habendum est: hic enim non
solum sufficit respectus aetatis, sed etiam consideratio
habitus, temperamenti, consuetudinis et praeципue sen-
sibilitatis habenda est; alias exoptatus anodynorum effe-
ctus certe frustratur. Deprehendimus quoque non
nulla individua plane auersari anodyna, ita ut mini-
ma etiam dosi exhibita, periculosa sequantur sympto-
mata. Tertium praeceptum docet quod ad anodynorum
vsum non prius accedendum sit, nisi summa ne-
cessitas postulat et per leniora, nimirum temperantia
nitrosa, acida et cinnabarina, motus enormes pericu-
lum virium et vitae minantes, cohibere nequimus.
Quarta regula exposcit, vt in nullis morbis periodicis,
sive acutis, sive chronicis anodyna exhibeamus, quia
ordo morbi per illa turbatur et anomaliae motuum in-
troducuntur. Ultimum tandem momentum hoc est,
vt etiam externa anodyna, quamquam illa multo debi-
lius quam interna agunt, nihilo tamen minus omni ad-
hibita circumspetione propinemus. Maxima pruden-
tia ac circumspetio in topicorum, arthritidi, scabiei,
aliisque exanthematibus dicatorum applicatione, neces-
saria est, hic enim vel nulla adhibeantur remedia exter-
na; aut eadem sint discutientia. Maiori vero fiducia
remedia anodyna externa, si ab externis morbus pro-
digiosis III. IV. et IIII. editione magna-

gnatus sit causis applicare possumus, si autem ex internis originem duxit, interna remouentia propinanda sunt. Suum igitur cuique dandum est, dolor nimirum omniaque quae integratatem corporis humani laedunt, remouenda atque extirpanda sunt.

§. XVIII.

In fine adhuc notandum est, fore nonnullos, qui iudicabunt, nos subiecta quaedam anodyna praetermississe, dum in medium proferent, semen anethi, cannabis, spec. de hyacinth. aliaque forsan; verum enim vero his respondemus, terminum, anodynnum, diuerso significatu sumi posse, nos autem illum strictissimo sensu sumissemus, et hinc tantummodo propria narcotica in hac tractatione exposuisse. Alias nulla difficultate largimur, quod adstringentia saepius vim anodynam praestent, et quidem adhuc magis infeliciori effectu, quam anodyna rite praeparata, et conueniente dosi prudenter exhibita. Haec enim veritas experientia satis superque comprobata est, quod motus excedentes felicius anodynis securis, quam remediis adstringentibus, coercentur.

T A N T V M .

Pag. 15. lin. 6. lege incompletum.

D

E

En Te solemnis condecorat dies
Cingitque laetis tempora laureis,
Et fama compensat labores
Continui studiique curam.

Sic excitatus plausibus omnium,
Tuaeque magnae conscius hoc die
Virtutis, ardet singularem
Promere laetitiam, fauori

Semper dicatus nunc animus Tuus,
Et digna tandem praemia nobili
Virtute captanti precatur
Perpetuo meritos honores.

Hic auspicatus perstet honor diu;
Maiore semper fidere fulgeat,
Magnasque curas ac labores
Exitus a superis coronet.

Haec pauca
CLARISSIMO AC DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO
nouos honores gratulatus
CAROL. SIEGFR. IENICHEN.
Med. Stud. Opp.

Freund,

Streund, wer, wie Du, mit Ernst nach Wissenschaften
trachtet,

Und sich den Tempeln weist, worin die Wahrheit thront,
Den trönt ein fester Ruhm, der allen Neid verachtet,
Wenn ihm sein eignes Herz mit reiner Wollust lohnt.
Schon winkt Dir, Edler Freund, die Ihre Freunde liebet,
Hygea; sie will Dich zu ihrem Priester weihen,
Nim den verdienten Schmuck, den ihre Hand dir giebet,
Und laß durch Dein Beimähn ihn Dir geheiligt seyn;
Du huldst ihr, und zeigst zugleich durch diese Probe,
Was ein geistiger Geist für edle Früchte giebt.
Dein Fleiß eröffnet Dir zum fernern Glück und Lobe,
Die Aussicht. Sey beglückt, der Kranken Trost, geliebt.

Halle, den 20. October.

1760.

J. H. Germar,
aus dem Halberstädtischen
d. H. G. G. B.

Sie? schwiege wol, Werthester Seuer! mit Recht Dein
treuester Diener,
Der in Dir viel Verdienste kennt?
Bey welchen Du einstens ohnfehlbar ein Herz der zärtlichen
Eltern,
Das Gatten und der Kinder Brust,

Die

Die Dir bellommen in Noth das Wohlsein der ihren Ver-
trauen,

Von Angst und Quaal befreyen wirst?

Da, nach gewöhnlicher Art, man heute Dir Freyheit ertheilet;

Daz Du Dich Deiner Kunst bedienst,

Die Du, den Kranken zu Nutzen, durch emsigen Fleiß Dir
erworben.

Nein, liebster Freund! Es will die Pflicht,

Daz ich mit Wünschen des Seegens die Stufe der Ehren be-
gleite,

Die Du mit allem Recht verdienst.

So lebe denn! Lebe beglückt! und lege bey spätesten Jahren

Noch Proben Deiner Kunst zurück.

Und so doch was wünsche ich mehr! Was ist mir zu Wün-
schen wol übrig,

Da außer diesen Dir nichts fehlt;

Denn Dein redlich und fromm seyn erwecket das siehe Ver-
trauen

Daz Gottes Beystand Dir nicht fehlt!

Sey nur noch eben Derselbe, wenn einst Dein Freund, als
ein Kranker

Um Deinen Rath Dich bitten wird.

Halle, den 25. Octobr.

1760.

H. E. G. Kanis,
d. H. G. B.
aus den Halberstädtischen.



Ua 4711



Slb.

3

*aus
g*

DISSESSATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
**PRAEPARATIONIBVS AC DOSIBVS
ANODINORVM
PRVDENTER OBSERVANDIS**

QVAM
AVSPICE DEO PROPITIO
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICI

PRAESIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO ET DOCTISSIMO
FRID. CHRISTIANO IVNCKERO

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE HVIVSQVE
PROFESSORE PVBL. ORDIN. PAEDAGOGII REGII AC ORPHEA-
NOTROPHEI HALENSIS MEDICO CONSTITUTVO

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
MORE MAIORVM RITE OBTINENDIS

AD DIEM OCTOBR. MDCC LX.

PLACIDAE AC AMICAE DISQUISITIONI EXHIBET

A VCTOR

HENRICVS FERDINANDVS SEVER

WANSLEBIO MAGDEBURGENSIS.

HALAE MAGDEBURGICAE,
LITTERIS HILLIGERIANIS.

B.I.G.

	Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
	Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color														